

~~K. H. R.~~

U. Postmitarbeiter

Archiv (124/1673)

Film (14)

3

EPITHALAMI-
VM DENVPTIIS ILLVSTRISS.
PRINCIPIS IOHANNIS ERNE-
sti, Ducis Saxoniae, Landgrauij Turingiae &
Marchionis Misniae, Et Illustrissimae
Dominæ, Ducissæ Brunswicen-
sis & Luneburgensis,

Autore

K f. 129

IOANNE RICHO.

VVitembergæ.

ANNO M. D. XLII.

E . 5 :



ІМАЛАНТІОН
загатуєні від архівів
Відомості про
Хаджі Ташкентського
засновник
Міністерство
Дотримання
Земельних
Відомостей

ІОНІЯ

ЛІХІОНІА

EPITHALAMIVM DE NVPTIIS

Illustriss. Principis Iohannis Ernesti Ducis
Saxonie, Landgravi Turingie & Mar-
chionis Mystiæ, Et Illustrissimæ Do-
minæ, Ducissæ Brunsvicensis
& Luneburgensis.

VRbs stat, Torgauum gens nomine Saxonis illam
Nuncupat, irriguis qua fluit Albis aquis.
Hic ubi Saxonicus residet septenuir in arce
Quæ superat tellus Itala quicquid habet.
Huc erat Heroas coituros rumor in unum
Qui curam puræ relligionis agunt
Ipse ratus Martis Bacchi fore tempore ludos
Accessi, e tardis quamlibet unns eram.
Ecce puellarum mihi longa sit obuia turba
Intueor proprius pompa iugalis erat.
Tempora nam Nymphis pulchræ redimita coronæ
Impediere, quibus Sponsa stipata fuit.
Et modo qui galeas proceres gestare solebant,
Implicitas fertis nunc habuere comas.
Tunc ego, quam nihil hic poterit Mars iuris habere,
Qua uideas almæ nil nisi signa togæ.
Pro bellis ubi castus hymen, pro cuspide cestus
Regnat, & inbellis pectora iungit amor.
Quis tamen est, dixi, dic qui Deus omnia cernis,
Cui dabitur tenero uirgo fouenda sinu.
En retulit phœbus (nam te clàrissime Princeps
Cernebant oculi, dixit ut ista, mei)
Nec mora, scis quoties nos infectare querelis
Ausus es, in uersu quod tibi luctus erat.
Nunc si te queruli ceperunt tædia plectri
Et modo læticiam quam meditere petis

A ij Arripito

Arripito calamos, & lātum pange poema
Hic Elegos falsum nomen habere dabo
Quod modo luctus erat nunc plena in gaudia uertam,
Carmine cum rebus conueniente suis.
Dixit, at æthereis animos quæ mentibus æquas,
Hoc maior reliquis Saxonis aula plagis,
Qua ratione diu iustissima gaudia cœles,
Edas læticiae nec quota signa nouæ
Hac uincito die fecta caua tempora Lauro,
Et uiridi lætas collige fronde comas.
Cæsar ea Nympham qua ducit origine natam
ERNESTVS stirpis gloria quanta suæ.
Quæ ueluti cunctis non cedit diuite forma,
Quia iacet Arctoo terra perusta gelu,
Sic, quacunq; trahit nitidum Sol aureus orbem,
Non habet huic tellus moribus ulla parem.
Et tibi Franciacæ telluris fama Coburgum
Differt læticiam num quota causa nouam ?
Læta dies uenit merito signanda lapillo
Qui superet, Scythiae quam iacit ora, niuem.
Qua fies tandem supra tua vota beatus,
Et trades miti colla premenda iugo.
Hucades, & profer lætam testantia mentem
Signa, quibus dominum grata probare probes
His opta thalamis feliciter omnia cedant
Diuinusq; tua voce vocetur hymen.
Lata quibus crescit cuncto tibi tempore fama
Arbor ut undantes consita propter aquas.
Ecce quid hoc ? celsis sonuerunt turribus æra
Atq; dedit blœsum tibia rauca sonum.
Maturate gradum, quo tenditis ocyus ite
Ad sacra vos tardo non decet esse pede
Namq; piam ueniet cum Pompa iugalis in ædem
Coniugij discet quæ sit origo sacri,

Fallor

Fallor? an hic domino sic præcipiente Sacerdos
Et sponso & sponsæ talia sacra leget?
Qui capit uxorem domino capit ille iubente,
Res cœcæ sortis non erat ista manus.
Tempore quo cepit nam totius orbita mundi,
Cumq; suo clausa est quinta labore dies.
Vnus & obscurus naturæ uultus in orbe
In partes fuerat sectus agente Deo.
Aurea iam mundo præhebat lumina Titan,
Et conspecta suo Luna nitore fuit.
Igneu uis sedem summa iam legerat arce,
Et leuis huic aer ordine iunctus erat.
Imo pressa loco tellus grauitate resedit
Illi ac tetigit uentus & unda globum,
Iam poteras ponto poteras tellure uidere
Quicquid terra parit quicquid & unda parit
Iam pecus in prato piscis ludebat in unda
Laudabatq; Deus quod fabricarat opus,
Sed tamen illius ad faciem nihil orbis habebat,
Ac illo primum tempore factus homo est.
Vir fuit, at solus non uir sufficerit orbi,
Idq; uidet cauti prouida cura Dei,
Exeruitq; uiro costam (mirabile dictu)
Quæ paruo mulier tempore facta fuit.
Hanc thalamo iunxit, propriamq; dicauit Adamo
E quibus humanum conderet ille genus.
His Deus instituit connubia prima duobus
Nunc quoq; perpetua quæ iubet esse mora
Ergo qui thalamo cum coniuge iungitur uno
Quod facit a cœli numine numen habet.
Iussit id uxorem propriam quo quisq; teneret
Quæq; datur, datur hæc instituente Deo,
Ergo quam ducis, ducis clarissime Princeps
(Ne dubita res est certa) iubente Deo.

Cuius

Cuius, coniugij quæ leges nomine fixæ,
Vxorem quam te ducere, scire decet.
Quem petitis, vobis dum uitæ stamina current,
Non ratio sacrum separat ulla torum.
Pro pietate tua Princeps te magne decebit,
Ut sponsam æternum non simulanter ames.
Vestra etenim una caro nunc sunt duo corpora, carnē
Anne odio quisquam uellet habere suam?
Te quoq; sponsa monet quæ fis e uirgine coniunx,
Coniugij leges quas imitere, Deus.
Sponsa tuo sponso mandata per omnia pare,
Vir sibi despōsae ius mulieris habet.
Dummodo non pugnant, & sint pia iussa, Tonant.
Hic saltem uires non habet ille suas.
Is si non aliquo pacto uiioletur, oebdi
Sic superis gratum quod facis illud erit.
Sic multa faciat coniunx te prole parentem,
Iuncta sit & fido semper amore tibi.
Hæc ubi diuino perlegerat ore Sacerdos,
En tenuit rursus Pompa iugalis iter.
Incedit qualि nitidissima sponsa decore?
Proh quantum roseo spirat ab ore iubar?
Hæc quacunq; notes poterit tibi laude placere,
Qui modo non uicum lumine captus habes.
Aspicis euinctos uiridanti fronde capillos,
Hi præeant cæræ florea dona nouæ,
Ora rosas superent, sed candida lilia collum.
Et facies nisi sit tincta rubore niuem.
Alba manus scythie regionis frigora uincant,
Sydereis certent lumina luminibus.
Tentonicas quibus ipsa licet præcellere Nymphas
Sustinet, in quouis quas fouet illa loco.
Cerne tamen gressus, gressus quoq; uincere dices,
Quæ labor hic nobis enumerare fuit.

Hac

Hac forma sic ingrediens tam diuite luxu,
Et quo, qua graditur, spirat odore locus,
Cui non ipsa sui poterit peperisse stuporem?
Aut quam non Nympham non mouet illa uirum?
Hinc aliquis proprius dotes qui conspicit istas,
Oraqe concepto mota stupore tenet.
Vestra procul (dicit) sint somnia uana Poetæ
Lumina quod cernunt debet habere fidem.
Seu Cypris fuerit seu sit mentita suisse,
In quos cunque uetus credula turba iocos.
Vincit Acidaliæ pulcherrima sponsa nitorem,
Et quas laude uehit fabula prisca Nurus.
Nec tamen est tantum præstanti sponsa decore.
Et laudem formæ, quæ comitantur habent.
Iudice quæ Momo possunt Heroides esse,
Illis quas claudit Phocidos unda, pares.
Sed ueluti Titan fulgenti lumine uincit,
Omnia quantumuis sydera luce micant.
Ver uelut est placidum melius candore niuali,
Sic uincit comites sponsa uenusta suos.
Pone sequebatur celso qui sanguine Sponsus,
Cæsareaqe genus nobilitate trahit.
Salue semidea prognate propagine Princeps,
Inclyta quo felix coniuge Sponsa tua est.
Namqe ego si uestrum deducam ab origine nomen,
Vtraqe gens ueræ nomina laudis habet.
Vtraqe de uicto meruit domus hoste triumphos,
Nulla dies unquam quos abolere potest.
Est tamen hoc maius, tibi quod deuinciat illam,
Non alij coniunx cur uelit esse Duci.
Euobis fidei facies syncera refusit
Quod, quocunqe diem ducit Apollo, uidet.

Vos

no/1



Vos monstratis iter quo rursus aditur ad astra,
Quod meritum mundi totius instar erat.
Ergo donec erit perituri machina mundi
Illi generis fama perire nequit.
Donec erunt pereunte poli pia numina mundo,
Saxonidos uiuet florida fama domus.
Et iam magnificæ scandebant arcis in aulam,
Qua nil Saxonicus pulchrius orbis habet.
Illa situ licet est etq; ab aere clara salubri
Quo uix est alia mitior illeus humo.
Cuncta licet rutulent ibi uermiculata metalla
Innumerisq; locis innumerisq; modis.
Quæ tamen in medio pendent aulæa theatro,
Precipuam partem laudis ab arte ferunt.
Diceris hinc merito felix o Saxonis aula
Hoc dum non aliqua parte perire sinis
Quod siquidem desunt de te qui carmine condant
Temq; militiæ tempore gesta togæ
Hæc duraturas facias memorare tabellas
Ut quæ nulla canant scripta, tabella canat.
Ergo quam cepit positis accumbere mensis
Grex comitum qui te sponse sequutus erat.
Pars spectans maius solito decus ætheris inquit,
Tam quæ discussit nubila causa cito,
Fallor : an hunc cœlum ueneratur, & aspice cœlum
Nec reris uerbis pondus abesse meis.
Quis nescit paucis elapsis ante diebus
Non cerni radios Sol potuisse tuos.
Aera nescio qua ratione nigrescere nimbis?
Flabraq; per terras flabraq; nata mari :
Scilicet es cœlo soboles gratissima sponse
Nec nisi consilio lux micat ista Dei.
Palluit ad mundi Sol impia crima nuper
Nec tulit ulterius fine carere nefas.

Non

Non illud poterant tua lumina Phæbe tueri
Amplius, hinc solitum non habuere decus.
Te tamen ut uidit Sociam duxisse iugalem,
O Erneste tuæ gloria magna domus
Emicat, & solitum sibi sumit Apollo nitorem,
Illustrat radijs & loca cuncta suis.
Scilicet ut scires connubia uestra probare,
Qui iubet hic Solem lumen habere, Deum.
Equibus exiret te nata parente propago,
Quæ seruet puram, ceu facis ipse, fidem
Pars Aulæorum monumentis lumina pascens,
An pius hic, inquit, Dux Fridericus erat.
Qui dum non bello meruit sed pace triumphos,
Apta suis rebus nomina pacis habet.
Hic primum Lacij fuit ausus dogma Bahalis
Vertere, synceram restituitq; fidem.
Nam meritis non ille fide confidere suasit,
Qui munire sibi uellet ad astra uiam.
Cum quo sacra licet pugnabat pagina Christi,
Qui tamen hoc poterat cernere nemo fuit,
Tunisi, qui Papæ fraudes Friderice fuisti,
Non passus tacita longius ire mora.
His meritis felix, felix Germania felix,
Dum, quod habes, Christi dogma manebit, eris
Ingenij caruit non laudibus ille solertis,
Tantum non potuit quo superare Deos.
Namq; licet contra fidei pia dogmata mundus,
Impia crudeli sumeret arma manu.
Ille tamen semper pepulit ratione tumultus,
Armaq; nec contra uel simul ulla tulit.
Tempore grandæuus quo Maximilianus obiuit
Et rapuit patriæ Parca maligna patrem.

B Imperia

Imperij electus sacra per suffragia Cæsar,
Et tanto ante alios nomine dignus erat.
Sed reputans animo tanti discrimina regni,
Prouidus, & senij tempora certa sui,
In duperatorem te Carole diue creauit,
Nomen ab hoc tituli Cæsare Cæsar habes.
Serua iugum ferres uincto Germania collo,
Hic tumidis Gallis si datus esset honor,
Ergo quod excussit Germania uincula, nec ullum
Exequitur famulans quod iubet alter opus.
Et quod freta fide bullas deridet inanes,
Debemus meritis Dux Friderice tuis,
Post hunc pictus erat non impare laude Iohannes,
Inclyta Saxonicae fama secunda domus.
Hic quoq; facta sequens Friderici maxima fratri,
Defendit fassus dogma quod ille fuit.
Cæsare concilium fuerat cogente citatus,
Ut causam fidei redderet ille sua,
Restitit in faciem constanti corde Papistis,
Nec quo contulerat rettulit inde gradum.
Illiis inuictam sensit Germania dextram,
In fera cum iustus pelleret arma dolor.
Namq; furor rabidos cum traxit ad arma colonos,
Et timuit uires Teutona terra suas.
Sed auit uirtute sua ciuilia bella,
Vindiceq; a patria depulit arma manu.
Diue quibus cœlo sed te uirtutibus æquem,
Qui patris & patrui nobile nomen habes
Si tua præteritis pia facta recordor ab annis,
Tu patre tu patruo non minor esse potes.
Sed si temporibus præsentibus ædita specto,
Tu patre tu patruo clarior esse potes.

Hi truce



Hi truce nam bello persæpe fuere petiti
Cum sine successu contigit esse dolos.
Adde quod est oculis subiecta potentia belli,
Et mala quæ non sunt cepta cauere potes.
Te specie belli passim peiore laceſſunt,
Dogma quibus ueri est res odiosa Dei.
Vrbes nanç tuæ lato uaſtantur ab igne,
Quas Mars non potuit uertere flamma tulit.
Scilicet ut populo uerbum cœleſte periret,
Deserereſq; fidem quam modo fassus eras.
Te tamen ista magis quo ſæua pericula tentant,
Fortius hoc urges relligionis opus.
Viue memor patris & patrui Friderice Iohannes,
Quod Deus eſt coeli tu caput orbis eris.
Te quoq; depictum Dux ſponse aulæa gerebant,
Maioresq; tuæ regia uirgo domus.
Quorum Cæſarea cum gente propago reſultet,
Vix alij generis nobilioris erunt.
Siue togæ ſpectes ſeu parta Trophea Gradiuo,
Teutoniæ laudem quo mereantur, habent.
Acaliquis dum vos, faciens pia vota tuetur
Dij faciant, dicit, fiat uterq; parens.
Legitimusq; ferat clarissima pignora lectus,
Quæ quod habent nomen non perijſſe ſinant.
At tu quid diſfers iuſtissima gaudia ſponse,
Hic vobis licitum, quod libet, illud erit.
Nam genus ut ueſtrum numeroſo crescat alumno,
Gaudia legitimus debet habere torus.
Hic age quid ceſſat tua fax tua tela Cupido,
Non alibi quorum iuſtior uſus erit.
Figito fac paribus iunctiſſima pectora nodis,
Assiduoq; illis dulcia bella moue.

B ij Sed

Sed nihil hic præstant tua fax tua tela Cupido,
Pectora uirtutis mutua iungat amor.
Non Venus his thalamis, præses est pronuba uirtus,
Gaudia legitimi non uetat illa tori.
O quantum est sociam iunctis tenuisse lacertis,
Concedit sociam quam Deus ipse toro.
Ergo agite, unanimi traducite fœdere uitam,
Vestraq; perpetuus pectora iungat amor.
Viuite fœcundo felicia pectora lecto,
Pectora Nestoreos uiuere digna dies.

Corrige.

- Fol. 2. col. 1. uersu 23. lege, infestare
Fol. 3. col. 2. uersu 15. lege, obedi
Fol. 4. col. 2. uersu 9. tolle q;
Fol. eod. col. ead. uersu 10. lege, ullius

FINIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-668653-p0015-2

DFG



FarbKarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

Black

B.I.G.



LAMI-
LVSTRISS.
NNIS ERNE
rauij Turingiae &
t Illustriſſimae
runſuicenſ
enſis,
CHIO.
gæ.
XLII.

Kf. 129

3